

78. Si post matrimonium contractum proprietates consolidatur cum usufructu, quem maritus antea habebat, an in eo uxor habeat medietatem?

79. An ista lucra transmittantur ad heredes?

80. Si soluto matrimonio vidua committat adulterium, an perdat ista lucra?

NOta dispositionem harum legum: Pro quarum perfecta declaratione; quia in iure nostro diversis modis fit mentio de his quae dantur ab uno conjugum alteri, inter quae est maxima diversitas, & difficultas; dico & praesuppono, quod aliquando & primo fit inter eos donatio, quae vocatur sponsalitia largitas: Aliquando & secundo fit inter eos donatio, quae vocatur propter nuptias, vel ante nuptias. Aliquando & tertio fit inter eos donatio, quae vocatur arrha. Aliquando & quarto fit inter eos donatio, quae vocatur dos: Aliquando & quinto fit inter eos donatio pura & simplex, quae vocatur donatio inter virum & uxorem. Aliquando & sexto fit inter eos donatio reciproca ab ipsa lege, medietatis lucrorum acquiritorum constante matrimonio.

Quoad primam igitur donationem dico, quod sponsalitia largitas est illa donatio, quae fit inter sponsos de futuro propter matrimonium contrahendum, & propter ejus spem & causam finalem: In qua de iure antiquo Digestor. & Codic. ante Imperatorem Constantinum requireretur expressio hujus conditionis vel causae, scilicet, quod fiebat propter matrimonium futurum; aliis censebatur donatio pura & simplex, & statim valebat, ut in leg. 1. versicul. Igitur. ff. de Donation. & in leg. 2. & in leg. Si filiae, & in leg. 11. tibi. Cod. de Donat. ante nupt. tamen postea per Constantinum nulla requiritur expressio, sed talis donatio simpliciter facta ex ipsa legis dispositione, & ex praesumpta voluntate partium, habet in se tacitam conditionem si matrimonium sequatur: textus est capit. talis & expressus in leg. Cum veterum, Cod. de Donat. ante nupt. & ibi notant & commendant Gloss. ordinaria, Odofred. Petr. Cin. Jacob. Butric. Bartol. Bald. Angel. & Salyc. & communiter DD. & idem disponit lex 3. tit. 11. part. 4. Cujus virtus, natura & effectus est, quod si expressè inter partes agitur, quod nullo casu revertatur ad donantem, sed statim pleno jure fiat accipientis; tunc indistinctè sibi quaeritur, & numquam revertitur ad donantem,

(b) Et ita tenet Castill. in leg. 52. in verb. Lo que el esposo. Palac. Rub. ibid. num. 13. & in repet. rub. §. 3. in princip. Avendañ. de Exequendis mandat. cap. 15. num. 4. Matienz. in leg. 4. tit. 2. gloss. 4. num. 3. lib. 5. Recopilat.

modo sequatur matrimonium; modo non, ut in dict. leg. 1. versic. Igitur. ff. de Donation. cum simil. si verò inter partes nihil actum vel expressum est; tunc, si matrimonium postea sequatur, valet in totum & perficitur donatio, & nullo casu revertitur ad donantem: text. est in dict. leg. Cum veterum, Cod. de Donation. ante nupt. & ibi communiter DD. si verò matrimonium non sequatur; tunc, si facto aut culpa donantis, perdit quod dedit, & restituit quod recepit, & applicatur alteri obedienti; si facto & culpa donatarii, restituit quod recepit: text. est in dict. leg. Cum veterum, si verò per casum, ut per mortem alterius; tunc si donatio fuit facta à sponso sponsae, eam repetit & recuperat donator; si non intervenit inter eos osculum, nec copula; si verò intervenit osculum, repetit & recuperat pro dimidia, & alia dimidia remanet penes sponsam, & eam lucratur; si verò intervenit copula nihil repetit nec recuperat donator, sed tota donatio quaeritur sponsae & haeredibus ejus; cum per copulam sit secutum & confirmatum matrimonium: textus est formalis & expressus in leg. Si à sponso, Cod. de Donation. ante nupt. & ibi Gloss. ordinaria, & communiter DD. text. in leg. 3. tit. 11. part. 4. text. in leg. 5. tit. 2. lib. 3. For. II. Si verò donatio fuit facta ab sponsa sponso, & matrimonium non sequatur, per mortem; tunc indistinctè sponsa vel haeres ejus repetit & recuperat, modo interveniat osculum, modo non: si verò interveniat copula, nihil repetit nec recuperat, sed totum quaeritur sponso; quia sequitum est matrimonium, & verificata est conditio quaerit in ista donatione: text. est singularis in dict. leg. Si à sponso, §. 1. Cod. de Donation. ante nupt. cujus verba sunt: Quod si sponsa, interveniente vel non interveniente osculo, donationis titulo (quod raro accidit) fuerit aliqua sponsa largita, & ante nuptias hinc vel illam morti contigerit; omni donatione infirmata, ad donatorem sponsam sive ejus successores dominium transferatur, & ibi Gloss. ordinaria, & communiter DD. & idem disponit praedicta lex 3. tit. 11. part. 4. & praedicta lex 5. tit. 2. lib. 3. For. II. (h) Frequentius tamen accidit, quod sponsus donet sponsae, quam sponsa sponso, ut dixit text. in dict. §. 1. Cujus ratio potest esse duplex: Prima, quia genus mulierum avarissimum est, secundum Gloss. ibi, per text. in leg. Sed si ego, in fin. ff. ad Vellejan. & in leg. Si stipulata, §. 1. ff.

ff. de Don. inter vir. & uxor. Secunda ratio melior & notabilior est, quia sponsa debet venerari à suo sponso, & maxime in his quae ad ornatum ejus pertinent; quia sua interest, & honori suo convenit ut culta & ornata sit, argumento text. in leg. Si ut certo. §. Interdum. ff. Commodat. ibi: Vel si sua dumtaxat causa commodavit sponsae vel uxori, quod honestius culta ad se deduceretur, ita Petr. & Cin. in dict. leg. Si à sponso. Cod. de Donat. ante nupt. Palac. Rub. in sua Repet. cap. Per vestras, de Donat. inter vir. & uxor. fol. 3. column. 2. versic. Contractis autem sponsalibus.

4. Pulchrum tamen dubium est: Quae sit ratio, per quam sponsa lucratur dimidiam partem hujus donationis per osculum, sponsus verò nihil lucratur? Et resolutivè dico, quod duplex potest esse ratio: Prima, quia semper sponsa videtur osculum dare, & non accipere; & ideo ipsa sola praemiarum: ita Glossa ordinaria in dict. leg. Si à sponso, §. 1. Cod. de Donat. ante nupt. in glossa 1. Secunda ratio est, quia sponsus per osculum aliquid acquirit, & in nullo gravatur, imò consequitur gaudium & laetitiam; sponsa verò per osculum aliquid amittit, quia incurrit ruborem & verecundiam, & adhuc aliquam diminutionem honestatis; & fortè si sponsus decederet, non ita faciliter inveniret alium cui nubere posset; unde in recompensam illud lucratur: & in expresso istam rationem ponit singular. Azor. in Summa. Cod. de Donat. ante nupt. in fin. Odofred. Petr. Cin. Alber. & Fulgos. in dicta leg. Si à sponso. Cod. de Donat. ante nupt. Montalv. in dicta lege 5. tit. 2. lib. 3. For. II. Palac. Rub. in sua Repet. fol. 3. column. 3. in fine, & ponit expressè praedicta lex 3. tit. 11. part. 4.

Advertendum tamen, quod praedicta debent intelligi in sponsis de futuro tantum: secus tamen in sponsis de praesenti; quia inter eos donatio non valet, tanquam inter maritum & uxorem, ut in leg. 1. & per totum. ff. de Donat. inter virum & uxorem, & in leg. 1. & per totum. Cod. eodem tit. Cujus ratio potest esse: quia donatio quae fit inter sponsos de futuro, habet tacitam conditionem si matrimonium sequatur; & valet & tenet tanquam inter extraneos, secuta & verificata illa conditione, ut in leg. 2. & leg. Si filiae, & leg. Si tibi, & leg. Cum veterum, & per totum. Cod. de Donat. ante nupt. donatio verò facta inter sponsos de praesenti, vel inter maritum & uxorem, est pura & simplex, & non valet, ne mutuo amore ad invicem se exoliant, ut in dicta lege 1. & per tot. ff. de Donat. inter virum & uxorem, & latius infra suo loco dicemus. Hodie tamen per istam nostram legem Tauri.

gem Tauri 52. contrarium est decisum, imò, quod omnia quae supra dicta sunt in sponsis de futuro, habeant etiam locum in sponsis de praesenti.

Circa praedicta tamen se offert necessarium & quotidianum dubium, an praedicta habeant locum & procedant, etiamsi donatio ista contineat res valde pretiosas, puta, vestes & ornamenta, vel alia pretiosa quae tradat sponsus sponsae de futuro vel de praesenti? Et videtur quod non, imò quod nihil lucratur sponsa per osculum vel copulam, sed totum debeat restitui sponso vel haeredibus post mortem alterutrius: Primo, quia omnia illa censentur data & collata in tempus matrimonii, ut honestius & magis honorificè incedat mulier; & per consequens non videntur donata, sed tantum commodata, & ad usum concessa, causa & gratia ipsius mariti, & ejus honoris; argumento textus in leg. Si ut certo. §. Interdum, versicul. 1. ff. Commodati; cujus verba sunt: Vel sua dumtaxat causa commodavit sponsae fortè vel uxori, quod honestius culta ad se deduceretur. Confirmatur etiam, quia ex qualitate talium rerum praesumitur donatio vel traditio collata in tempus matrimonii; cum inter sponsos non soleant talia pretiosa dari, quia istud onus non pertinet sponso, sed marito.

Secundo facit, quia quando simpliciter aliquid traditur, & alia conjectura potest capi, numquam debet praesumi donatio, ut in leg. Cum de indebito. ff. de Probat. & ibi communiter DD. & in leg. Procula, eodem tit. & in leg. Si cum aurum. ff. de Solut. & in leg. 2. §. Circa. ff. de Doli except. & in leg. Campanus. ff. de Oper. liber. & in leg. Si donatio. 2. respons. Cod. de Collat. Confirmatur etiam per Glossam singularem & unicam in leg. Cum quid. ff. Si certum petat. ubi dicit, quod si simpliciter quis alteri tradit pecuniam, vel rem, in dubio potius est praesumendum mutuum vel depositum quam donatio: quam ad hoc notant & commendant ibi Bartol. Bald. Paul. Alexand. Jas. & communiter Moderni. & reputat singularem & unicam Joan. de Imol. in leg. Dotem ferro. §. Qui maximas. 1. column. ff. de Public. & vectig.

Tertio facit, quia si maritus constante matrimonio simpliciter donat vel tradit uxori vestes, vel alia ornamenta pretiosa & festiva, non censetur donare, & per consequens talis donatio vel traditio non confirmatur morte mariti, ut remaneat penes uxorem vel haeredes ejus, quia in dubio solum videntur data ad usum & decorem causa ipsius mariti, ut uxor magis culta & ornata incedat: vestes verò & ornamenta

levia & quotidiana bene (i) videtur donare, & fiunt ipsius uxoris & hæredum suorum, & non teneant restituere: ita probat text. in leg. *Mortis sue causa*, versic. 1. ff. de Donat. inter virum & uxorem. text. in leg. *Ex annuo*, eod. tit. text. in leg. *penult.* §. 1. ff. Solut. matrim. ubi habetur, quod vestis, quam simpliciter quis tradit servo uxoris vel famulo, non videtur donata, sed tantum ad usum concessa, & potest eam repetere, ut extat textus singularis & melior de jure in leg. *Id vestimentum*, ff. de Peculio, ubi dicitur, quod vestimentum pretiosum, quod dominus simpliciter tradit servo, non videtur concessum in peculio, sed semper remanet ipsius domini: cujus verba sunt: *Sed quod vestimentum servo dominus vita dedit utendum ut non semper, sed ad certum usum certis temporibus eo uteretur, veluti cum sequeretur, vel cum sibi cœnanti ministraret, id vestimentum non esse peculii*, text. in leg. *Ob legatum*, ff. de legat. 3. ubi habetur, quod si maritus vestes & ornamenta pretiosa uxoris causa & ad ejus usum comparavit, & postea genericè legavit ea quæ uxoris causa comparavit, videntur prædictæ res legari & contineri in dicto legato generali; ergo aperte colligitur, quod per solam simplicem traditionem non censetur facta donatio; quia aliàs non requireretur de eis fieri legatum generale, nec particulare: facit etiam textus in leg. *Quintus Mutius*, ff. de Auro & argento legat. textus in leg. *Ornamentorum*, eodem tit. & in expressò istam sententiam & conclusionem, licet non ita bene fundet, tenet Bartol. in leg. *penult.* §. 1. ff. Solut. matrim. 1. column. num. 2. & ibi Bald. 2. column. quest. 1. Angel. 1. column. num. 3. Paul. de Castr. 2. column. num. 4. Joan. de Imol. 2. column. Alexand. 1. column. num. 3. & communiter DD. idem Bart. Angel. Paul. Alexand. & communiter DD. in leg. *Si usufructus*, §. 1. ff. ad leg. Falcid. idem Bartol. in leg. 1. §. *Nec castrense*, ff. de Collat. bonor. 4. column. numer. 9. versic. *Circa secundum*. Bald. Paul. Salycet. & communiter DD. in leg. *Si ut certo*, §. *Interdictum*, ff. Commodati. Bald. Paul. Salycet. & alii DD. in leg. *Id vestimentum*, ff. de Peculio. Angel. in leg. *Emptor*, ff. de Eviction. Bald. notabiliter in leg. *Si filie cujus*, Cod. Famil. ercisc. 5. column. & 5. quest. idem Bald. in *Authent. ex testamento*, Cod. de Collat. 5. column. num. 10. & ibi Roman. 7. column. num. 22. Salyc. in leg. *Sicut*, Cod. de Donat. inter vir. & uxorem. 2. column.

(i) Et ita tenet Montalv. in leg. 6. tit. 6. lib. 3. Fori. Palac. Rub. in *Repet. rubr.* §. 6. & 11. Avendañ. de *Exequendis mandatis*, cap. 15. in fin. ubi Gregor. tit. 11. part. 4. Castell. in leg. 52. verb. *Sea precioso*. Matienz. in leg. 4. tit. 2. lib. 5. glossa 4.

num. 5. Joan. de Campeg. in *tract. Dotis*, 2. part. 5. quest. num. 5. Montalv. in leg. 6. tit. 6. lib. 3. For. ll. Palac. Rub. in *sua Repet. cap. Per vestras*, 4. fol. §. 6. per plures column. & istam sententiam & conclusionem expressè probat singularis lex 23. in fin. tit. 11. part. 4. Imò, quod magis est, prædicta habent locum & procedunt etiamsi maritus non simpliciter tradidisset uxori, sed dixisset quod donabat; quia secundum subjectam materiam videtur tantum ad usum concedere; nisi aliàs expressè constaret quod habuit animum donandi: ita eleganter Joan. de Imol. in *dicta lege penultim.* §. 1. ff. Solut. matrim. 3. column. argumento textus in leg. *Si uno*, ff. Locati, & ante eum Bartol. in *dicta lege* 1. §. *Nec castrense*, ff. de Collat. bonor. 5. column. Bald. in *Authentic. ex testamento*, Cod. de Collat. 6. column. num. 10. Ergo idem dicendum est, quando tales vestes vel ornamenta pretiosa sponsus simpliciter tradidit sponsæ de futuro, vel de præsentem; ut sibi non videantur donata per supradicta, quæ optimè concludunt. Et in terminis pro hac sententia & conclusione facit textus notabilis in leg. *Ob legatum in fin.* ff. de legat. 3. ubi expressè dicitur, quod paria sunt quod talia simpliciter dentur & tradantur sponsæ ante matrimonium consummatum, quam uxori post matrimonium contractum; quia semper utroque casu videntur ad usum tantum data & collata: textus in leg. *Si quid*, eodem tit. ff. de Legat. 3. cujus verba sunt: *Si quid earum rerum ante comparavit quam uxorem duxit, si id ei ut uteretur tradiderit, perinde est quasi postea comparavisset*, & quod prædicta distinctio & resolutio habet locum in sponsa, tenet expressè Joan. de Imol. in *dicta lege penult.* §. 1. ff. Solut. matrim. 3. column. in fin.

Sed advertendum, quod contrarium videtur de jure verius in sponsa de futuro, & de præsentem: imò, quod indistinctè videantur donata etiam pretiosa, & medietatem lucretur sponsa per osculum, & totum per copulam; & supra dicta jura & opiniones Doctorum procedant & habeant locum in uxore verè & realiter ducta; quia ibi potest capi alia conjectura quam donationis, scilicet, datio vel traditio ad usum tantum: secus verò in sponsa; quia ibi videtur facta donatio ob causam matrimonii, & in recompensam dotis, honestatis, & virginitatis; cum sponsa posset non nubere, per ingressum religionis, vel aliàs: unde, cum possit capi illa ve-

vehemens & propinqua conjectura, in dubio præsumitur donatio; sequuta causa veri & realis matrimonii, verificetur donatio, & purificetur ejus conditio: Et in terminis ita disponit hodie nostra lex 52. his legib. Taur. quæ expressè vult & determinat, quod sponsa de futuro, vel de præsentem lucretur medietatem per osculum, & totum per copulam, eorum quæ sibi sunt simpliciter tradita per sponsum, modò sint pretiosa, modò non: dum tamen non interveniat promissio arrharum; quia tunc sponsa debet eligere unum vel aliud infra tempus ibi assignatum, non tamen debet habere & lucrari utrumque (k).

Item etiam & secundò principaliter quæro, si sponsus dedit vel simpliciter tradidit sponsæ vestes & ornamenta pretiosa tempore nuptiarum & velationum, an habeat locum ista nostra lex 52. & soluto matrimonio, sponsa lucretur medietatem eorum per osculum, & totum per copulam, an verò totum debeat restitui marito, & ejus hæredibus? Et est subtilior & melior quæstio, quæ in hac lege & materia potest adaptari & considerari: Et certè videtur quod sponsa nihil debet lucrari, sed totum debet restitui marito vel hæredibus ejus: Primò, quia datum vel traditum illo tempore aperte censetur datum & collatum in tempus matrimonii, ut in leg. *Quod sponsæ*, Codic. de Donation. ante nuptias, cum similib. sed vestes vel ornamenta pretiosa, constante jam matrimonio tradita, non lucretur uxor, sed marito vel hæredibus restituuntur, ut supra latè conclusum est: ergo similiter ea quæ sint data vel tradita tempore nuptiarum. Secundò facit: quia cum ad maritum spectet onus & cura, victus & vestitus uxoris, & eorum quæ pertinent uxori; & tempore ipso nuptiarum & velationum dedit & tradidit prædictas vestes & ornamenta, & statim sequitur matrimonium; non potest aliud dici nec conjecturari, nisi quod dedit & tradidit tanquam uxori, pro adimplendo onere & necessitate sibi imposita à jure & consuetudine;

quia absurdum esset quod contraherent, & in domum includerent sine talibus vestibus, & ornamentis sibi decentibus. Confirmatur etiam, quia tempore quo fuerunt desponsati, forte sponsus illa non dedit, nec tradidit, sed reservavit in tempus nuptiarum; unde aperte colligitur mens & intentio ejus, quod voluit tradere tanquam uxori, & non tanquam sponsæ. Rursum confirmatur, quia communiter illo tempore nuptiarum prædicta dantur copiosè & in abundantia, quasi debeant durare per totum tempus matrimonii; & sic inducitur præsumptio, quod noluit sponsus donare, sed causa promissui & communis usus tradere.

Sed his non obstantibus, ego teneo contrariam sententiam; imò quod vestes & omnia alia ornamenta pretiosa, quæ dantur & traduntur per sponsum sponsæ tempore nuptiarum & velationum, sint & efficiantur propria uxoris, & lucretur & acquirat medietatem per osculum, & totum per copulam: Primò, quia prædicta nostra lex 52. Taur. simpliciter & indistinctè loquitur & dicit, quod sponsa illud lucretur, non facta distinctione temporis: ergo simpliciter & distinctè intelligatur, quocumque tempore dentur, sive tempore nuptiarum, sive ante: quia quando lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, ut in leg. *De pretio*, ff. de Publiciana, cum similib. Secundò facit, quia qualitas adjecta verbo, debet intelligi secundum tempus verbi, ut in leg. *In delictis*, §. *Si extraneus*, ff. de Noxa cum similibus. Sed nostra lex Tauri expressè loquitur in sponsis, & in eo quod datur per sponsum sponsæ: & illa qualitas viget & durat tempore nuptiarum, antequam verè & realiter sit contractum matrimonium: ergo illo etiam casu & tempore habeat locum ejus dispositio. Tertio facit subtilis consideratio: quia ista nostra lex Tauri dicit & disponit, quod si in matrimonio interveniat promissio arrharum, sponsa eligat an velit habere unum vel aliud: sed illa quæ dantur per sponsum tempore sponsaliorum, regulariter & communiter sunt levia,

(k) Intellige etiam ista, dummodo non excedant octavam partem dotis, ut in leg. 1. in fin. tit. 2. lib. 5. Recop. ubi Matienz. in *glos.* 6. sic legem nostram intelligit, Palac. Rub. in *Rubr. de Donat. inter virum*, §. 5. in fin. & Castell. in leg. 52. verb. *Sed pretioso*, & ibi Gomez Arias. num. 16. Villalob. in *Antinomia juris civilis & regii*, verb. *Donatio*, num. 25. Spin. in *jus specula glos.* 18. in princ. num. 155. cum aliis relatis ab Aceved. in leg. 4. tit. 2. lib. 5. Recop. num. 19. licet Greg. Lop. in leg. 33. tit. 11. part. 4. contrarium teneat, imò legem nostram non procedere cum vestes pretiose ab sponso sponsæ dantur; qui à Matienz. reprehenditur, in leg. 4. tit. 2. lib. 5. *glos.* 5. num. 2. Quæ autem vestes pretiosæ, & quæ superflue dicantur, quæ autem quotidiana? communis assertio est, ut judicis committatur arbitrio, ut personarum considerata qualitate id judicet, secundum Imol. in leg. *penult.* §. 1. ff. de Solut. matrimonio, in fin. Palac. Rub. in *Rubr. de Donationibus inter virum*, §. 11. Gregor. in *dict. leg.* 33. in *glos. ult. in fin. tit. 11. part. 4.* tradit Matienz. ubi supra, num. fin.

& parvi valoris, & non sunt digna arrhis comparari; sed tantum dantur pretiosa tempore nuptiarum & velationum: ergo utroque casu & tempore loquatur & procedat nostra lex. Quarto & quidem singulariter facit: quia donatio quæ fit ab sponso sponsæ ante matrimonium realiter consummatum, semper dicitur *sponsalitia largitas*, & valet & tenet & habet effectum suum etiamsi fiat ipsomet die nuptiarum, & non censetur donatio inter virum & uxorem, ut annulletur: text. est in leg. *Inter eos*, ff. de Donationibus inter virum & uxorem, cujus verba sunt: *Inter eos qui matrimonio juncti sunt, ante nuptias donatio facta jure consistit, etiamsi eodem die fierint consequuntur*: text. in leg. *penult.* §. *Virgini*, eodem tit. Et si sumus in dubio, quod non appareat, an sit facta ante matrimonium, vel post? adhibetur talis distinctio: quod si in domo sponsæ sit facta, præsumitur adhuc sponsa, & valet; si verò in domo sponsi sit facta præsumitur jam uxor, & non valet: text. est singularis & unicus in leg. *Cum in te*, Cod. de Don. ante nupt. cujus verba sunt: *Cum in te simplicem donat. dicas factam esse die nuptiarum, & in ambiguo possit venire utrum ab sponso an de marito donatum sit, sic distinguendum est, ut si in tua domo donum acceptum est, ante nupt. videatur facta esse donatio: quod si penes se dedit sponsus, retrahi possit, uxor enim fuisti, & ibi ad hoc notat & commendat Glossa ordinaria, Azor. in Summa ejusdem tituli in fin. Odofred. Petr. Cin. Alber. Fulgos. & communiter DD. & reputat singularem & unicum Bald. ibi: & illum etiam textum ad hoc notat & commendat Bald. in *Authentic. ex testament.**

(l) Nostram & eorum sententiam sequitur Gutierrez, in alleg. II. num. 7. Avendañ. in cap. 15. Prætorum; num. 5. lib. 1. Matienz. in leg. 4. tit. 2. lib. 5. Recopil. glos. 6. num. fin. Palac. Rub. in Rubr. de Donat. inter virum, §. 8. num. 3. licet contrarium ipse teneat in dist. Rub. §. 11. num. 2. & Avend. in cap. 10. Prætorum, num. 13. lib. 2. imò vestes & omnia alia quæ sponsæ tempore nuptiarum dantur, propria non effici, sed marito vel ejus hæredibus debere restitui, quam etiam opinionem sequitur Gregor. Lop. in leg. 3. tit. 11. part. 4. Aceved. novissimè in leg. 4. tit. 2. lib. 5. num. 27. & de hac quæstione vide latissimè Roland. à Valle cons. 10. num. 12. cum sequenti, lib. 1.

(m) Quos sequuntur Gomez Arias in leg. 52. Taur. num. 20. & ibidem Castell. verb. *Antes de consumado*, vers. *Ex quo habes* Gregor. in leg. 23. verb. *Besado*, tit. 11. part. 4. Palac. Rub. in dist. leg. 52. Taur. num. 14. in fin. qui hoc fundamento moventur: nam si copula donationem præcessit, potius donatio inter virum & uxorem censetur, quam propter nuptias, ut docet Matienz. in leg. 4. tit. 2. lib. 5. Recopil. glos. 3. num. 2. ubi latè fundat; & Gregor. in leg. 23. tit. 11. part. 4. id etiam tenet Aceved. ibidem, in dist. leg. 4. tit. 2. lib. 5. Recopil. num. 26. & vide Avend. in cap. 15. Prætor. num. 5. lib. 1. Gutierrez. in Allegat. II. num. 5. lib. 1. qui hanc eandem Castell. opinionem tenet; licet in praxi contrariam sententiam servari affirmat, & sic sponsam lucrari quod etiam osculo præcedente, seu copula sponsalibusque, sibi donatum fuerit: eandemque opinionem tenet idem Aceved. sibi contrarius in dist. leg. 4. tit. 2. lib. 5. numer. 14. & Aviles cap. 15. Præ. numer. 6. in fin. Ayora in tract. de Partitionibus, 1. part. cap. 7. num. 37. quod refert ipse Aceved.

Cod. de Collat. column. 6. numer. 10. & ibi alii DD. (l)

6 Tertiò & principaliter quæro, si inter sponsos intervenerit osculum vel copula, antequam aliqua donatio fieret, & postea sequatur ista donatio & sponsalitia largitas, an habeat locum dispositio hujus legis, ut sponsa lucretur medietatem per osculum præcedens, & totum per copulam? Et videtur quod sponsa nihil lucretur; quia ista lex videtur requirere pro forma, quod præcedat donatio, & sequatur osculum vel copula; quod probat lex in quantum dicit *Gane, si el esposo la hubiere besado, la mitad de todo lo que el esposo la hubiere dado antes de consumado el matrimonio*. Et iterum infra, dum dicit; *pero si qualquiera de ellos muriere despues de consumado el matrimonio, que la muger, y sus herederos ganen todo lo que sien-do desposado le hubo el esposo dado*. Et in expresso ita tenet Didacus de Castell. super ista leg. 8. column. versic. *Ex quo habes*, & reputat singulare: Doctor verò de Palac. Rub. tangit etiam super ea num. 10. & num. 16. & relinquunt cogitandum & indecisum: (m) Sed his non obstantibus ego teneo contrarium: imò, quod ista lex procedat & intelligatur, etiamsi præcedat osculum vel copula & postea sequatur donatio: quia utroque casu militat ratio fundamentalis hujus legis superius assignata; ergo habet locum ejus dispositio: ut in leg. *Cum pater*, §. *Dulcissimis*, ff. de legat. 2. & in leg. *Gallus*, §. *Et quid si tantum de liber. & posthum.* & in leg. *Mulier*, ad Treb. & in *1. Si matre*, Codic. de Instit. & sub. cum simil. Item etiam, quia sponsus videtur dare in præ-

mium & remunerationem beneficii recepti. Item etiam, quia in nostro regno ex communi usu, allusione, & significatione vocabuli, semper sponsa dicitur & vocatur ante velationes & benedictiones Ecclesiæ & communem habitationem, modò sit cognita, modò non; post prædictas verò solemnitates propriè vocatur uxor; sed nostra lex loquitur in sponsa; ergo indistinctè intelligatur ut dixi: argumento text. in leg. *Librorum*, §. *Quod tamen Cassius*, de leg. 3. & in leg. *Labeo*, de supell. legat. Adde tamen, quod si non valeret donatio tamquam sponsæ facta, & non posset in ea procedere ista lex, valeret tamen donatio tamquam uxori facta post annum, vel confirmaretur morte, ut infra suo loco dicemus. Unum tamen est, quod si antequam inter eos contraherentur sponsalia, interveniret osculum vel copula, & postea sequatur sponsalia & verum matrimonium, non lucrabitur aliquid sponsa; quia formaliter & necessariò requiritur quod contractis jam sponsalibus de futuro vel de præsentibus donatio fiat, ut apertè vult & disponit ista lex: & in expresso ita tenet Bald. de jure communi in leg. *Si ab sponso*, Cod. de Donat. ante nupt. argumento text. in leg. *In delictis*, §. *Si extraneus*, ff. de Noxalib. ubi habetur, quod qualitas adjuncta verbo, debet intelligi & regulari secundum tempus verbi: ergo osculum vel copula necessariò requiritur tempore sponsaliorum, non verò ante: quia magis esset puniendum quam præmiandum: (n) Confirmatur, quia sponsalia de futuro bene transeunt in matrimonium de præsentibus per copulam subsequutam, non verò præcedentem, ut in cap. *Veniens*, el 2. de sponsalibus, & ibi communiter DD. Confirmatur etiam, quia matrimonium sub conditione contractum, efficitur purum per copulam subsequutam, non tamen per copulam præcedentem, text. est in cap. *Is qui*, de sponsal. text. in cap. *de Illis*, & in cap. *Per tuas*, de cond. appos. & utrobique DD. Ergo ita dicamus in proposito, quod os-

culum vel copula quæ intervenit post sponsalia, sint causa acquisitionis donationis, non verò quæ intervenit ante sponsalia contracta: & idem tenet super ista lege Palacios Rub. numer. 9. & Didac. de Castell. 5. column. super verb. *Besado*.

7 Quarto principaliter quæro, si sponsalia sint nulla & invalida juris prohibitionem, an habeat locum ista lex & ejus dispositio? Et breviter & resolutivè dico quod non, sed sponsus poterit tunc indistinctè repetere quod dedit & tradidit sponsæ, modò interveniat osculum vel copula, modò non: ista est Glossa singularis & ordinaria, juncto text. in leg. *Si ab spons. versic. 1.* Cod. de Donat. ante nuptias, & ad hoc notant & commendant Salyc. & Fulgos. (o) Pro qua sententia & conclusione facit text. in leg. *Cum hic status*, §. *fin.* ff. de Donat. inter virum & uxorem, ubi probatur, quod error circa causam finalem impeditivam matrimonii vitiat donationem, & non confirmatur morte: text. in leg. *Ea quæ*, Cod. de Donat. ante nupt. text. in leg. 1. Cod. de Condict. ob causam, text. in leg. *Si ex voluntate*, Cod. de Donation. inter virum & uxorem. Facit etiam concludens ratio: quia ista donatio & sponsalitia largitas de qua loquimur, habet tacitam conditionem si matrimonium sequatur, ut in *1. Cum veterum*, Cod. de Donat. ante nupt. sed in nostro casu & quæstione matrimonium non potest sequi nec habere effectum juris impedimento: ergo repetat. Quod intellige, quando sponsus donavit & tradidit ignoranter; quia tunc repetit, modò sponsa ignoret, modo sciat, per supra dicta: si verò sponsus scienter dedit & tradidit, & sponsa fuerit ignorans, non repetit; sed retinebit sibi sponsa: si verò uterque erat sciens, sponsus non repetit, nec sponsa retinebit, sed fiscus vindicabit: (p) ita probat text. in dist. leg. *Cum hic status*, §. *fin.* ff. de Donat. inter vir. & uxor. text. in leg. *Quia contra*, Cod. de Incest. nupt. & ibi Gloss. ordinaria & ibi com-

(n) Eandem hanc opinionem tenet Gomez Arias in leg. 52. num. 9. & 10. in leg. 50. numer. 5. 6. & 7. Joan. Matienz. in leg. 4. tit. 2. lib. 5. Recopil. gloss. 3. num. fin.

(o) Idem voluit Cifuent. in leg. 52. propè finem, sed contrarium tenuit Palac. Rub. in leg. 52. Taur. num. 4. & in Rubric. de Donationibus inter virum, §. 36. num. 7. scilicet, quod solum matrimonium ratione hujus impedimenti uxor ignorans lucretur propter osculum dimidiam partem jocalium; & copula interveniente, lucretur omnia donata: quæ opinio placuit Matienz. in leg. 4. tit. 2. lib. 5. Recopil. gloss. 2. num. 2. magis consonans leg. partitæ tit. 11. part. 4. asserenti, *pero siempre se entienda, que debe tornar à aquel que recibe, si por su culpa finca que el matrimonio no se cumpla*; ergo à contrario sensu mulier non amittit donata, nec ea sponso restituet, si culpa sua matrimonium non dissolvatur, ut latius videre poteris per eundem Matienz. ubi supr. idem etiam tenet Aceved. in dist. leg. 4. tit. 2. lib. 5. num. 10.

(p) Idem tenet Palac. Rub. in Rubr. de Donat. §. 39. num. 7. vers. *Si igitur donatio*, licet contrarium tenuerit in hac l. num. 4. idem etiam tenet Matienz. in leg. 4. tit. 2. lib. 5. gloss. 2. in fin.